

tio viri: quia non solum apud nos magnus, sed apud omnes in quos scintillula diffusa lucis melioris: amor tamen mortuum grata memoria & lingua prosequi suadet. Et quanquam ipse in alia vita: nihilo minus animo meo vivit, & vivet, nec pectore unquam exuam; quam me vitâ exuet ipse DEVS. Vos audite orationem non justo ordine dispositam, neque figuris politam: minus tali viro vel magno Philologo dignam. Antequam autem ad præsentem materiam me confero, ad te me converto, Rector magnifice & vir consultissime, maximo-pere petens, ut benigne me audiat M. V. Vos viri Reverendi, Amplissimi, Clarissimi Zephyro benevolentia afflate, & hunc amoris novi fruticem, quem tam amanter eduxistis, alere & fovere pergite benevolentia illis radijs. Et tu corona juventutis studiosæ Lectissima, benignas & attentas mihi balbutienti aures præbere ne gravemini.

FRIDERICVS TAUBMANVS VONSE-
SII natus, & ibi aliquandiu educatus. Parens ad me quantum pervenit. Parentibus honestissimis: exiguis autem & vix dicendis opibus fuit. Tu cave spernas. Non enim in paupertate vitium est, sed in paupere. Quisquis exit in lucem, jussus est lacte & pane esse contentus; panem natura desiderat; & jam hic noster sæpè aqua polenta usus. Patrem Germanum præmisit ad meliora loca, minorennis. Alter autem, qui vitrici titulo utebatur, erat mollis in re pietatis, sicut ferrum. Citiùs millies depexum dedisset, imo faciliùs mille lacrimas expressisset, quam unum è bulga numum. Dicam verbo, vitricus erat. Ut autem ferro consumens, quædam rubigo per naturam agnata & vitricis plerumque interna causa perden-
di suos. Ille Taubmanus autem non tam firmo & ferreo
pectore,